



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 77. Legatus pacta servari cupientium timores dissipat

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

„quod aliquantulum a meo fervore re-
 „miserim, Huniadis sapientia & auctori-
 „tate, ac Georgii Despotæ commiseratione victus; ac ne commodorum populi Hungarici, & vicinarum gentium oppugnator audirem, tristis & invitus cesseram, haud inscius, hinc salutem Christianæ Reipublicæ labefactari, spemque gloriæ, & immortalitatis extinguere. Quare vos adhortor, ut antequam perfidie vestræ rumor longius sese effundat, vosmetipsos ab hac infamia vindicetis.

§. LXXVII.

Legatus pacta servari cupientium timores dissipat.

Cum vero violati foederis, & quidem *Gobelin.*
 Sacramenti Religione firmati pro *Perf. comm.*
 brum non pauci Christiani sibi objectari timerent, & conscientiae stimulis agitati fluctuarent, Legatus illis animum addidit, dicens: „Fas est quandoque publicæ salutis gratia, neque stare pactis, „bono communi contrariis, neque perfidis fidem servare. Equidem jusjurandum justitiæ, ac veritati innixum, „omnium judicio religiose servandum: „quod autem non modo in privatum, sed „& publicum cedit exitium, illud irritum ac vanum esse debet. Displicet

Sæcul. XV. „Deo stulta & infidelis promissio; nefari-
A. C. 1444. „um & detestabile est, Pontificis, &
 „Christiani foederis violare sanctitatem,
 „Deus, si aliter fiat, accerrimus violatae
 „fidei vindex erit: Nihil Christo Domi-
 „no gratius, ipsisque Principibus glorio-
 „sius esse potest, quam occupatas a Tur-
 „cis Provincias a dira illorum servitute
 „vindicare; & foedus cum illis non sine
 „Fidei ac Religionis damno initum re-
 „scindere: hanc igitur, eamque oppor-
 „tunissimam occasionem haud negligite;
 „ea enim, nulla unquam commodior ob-
 „venire poterit: Ac, ne Rex Poloniae,
 „Proceresve se teneri timeant jurisju-
 „randi Turcis praestiti Religione, ab ea
 „illos auctoritate Pontificis, cujus Lega-
 „tione fungor, liberatos declaro.“ Nec

Æn. Sylv. abs re; Eugenius enim, Ænea Sylvio
Europ. c. 5. teste, cum non sine magno animi sui do-
 lore inducias cum Amurate pactas intel-
 ligeret, datis ad Julianum Cardinalem
 literis profitebatur, hoc foedus, utpote se
 inconsulto ac inscio conclusum, omnino
 nullum esse, hinc a se Regi Ladislao, ut
 illud infringeret, in mandatis datum, il-
 lumque a sui juramenti vinculo absolu-
 tum iri. Demum eundem Cardinalem
 adhortabatur, ut bellum restaurari, tam
 precibus, quam minis curaret, tandem-
 que pro felici armorum successu omnes
 ingenii ac eloquentiæ vires exereret, ne

tot

tot tamque magnanime coepta consilia
suo frustrarentur effectu.

Sæcul. XV.
A. C. 1404.

§. LXXVIII.

*Sententia de Bello in Turcas
restaurando.*

Hæc Cardinalis Legati oratio tanta vi
adstantium animos commovit, ut
per totius sermonis decursum nil nisi stre-
pitus eorum audirentur, qui arma Tur-
cis inferri deposcebant, etiamsi minus
prospero Marte res eventuræ essent; sa-
tius enim fore, exclamabant omnes, pro
Christiana Religione dimicando occum-
bere, quam prodita eorum, qui tanto
studio pro illius conservatione arderent,
fide, indecoram vitam trahere. His nec
Despota Serviæ, nec Huniades multum
obluçtari videbantur, ille futuræ victoriæ,
ac recuperandæ suæ ditionis spe allectus,
hic Regno Bulgariæ post felicem belli exi-
tum potiundi sponcione stimulatus.

§. LXXIX.

*Bellum contra Turcas a Rege
Poloniæ motum.*

Postquam igitur decretum sublatis fœ-
deris, quod nuper cum Turcis ini-
tum erat, ad Joannem Palæologum Im-
peratorem Constantinopolitanum, & ad
Car-